



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Didaci Covarrvvas A Leyva Toletani Episcopi Segobiensis
... Opera Omnia**

Covarrubias y Leyva, Diego de

Antverpiae, 1610

31 De iurisdictione in clericos primæ tonsuræ & iurisdictione ecclesiastica
& sæculari.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-96570](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-96570)

CAPVT XXXI.

De seculari, & laica iurisdictione in eos clericos, qui prima tantum tonsura sunt insigniti.

SYMMARIA.

1. Iurisdictionis spiritualis & temporalis differentia & Clericorum exemptio à potestate iudicis secularis, an sit iure diuino, vel humano instituta.
2. Exponitur text. in cap. futuram 12. q. 1.
3. Exemptio clericorum potuit à Romano pontifice iure humano induci, etiam si non fuerit iure diuino statuta.
4. Exemptio clericorum, & eorum privilegia quo ad forum, & canonem an possit tolli, vel limitari per Romanum pontificem.
5. Consuetudo, an possit hanc exemptionem clericorum restringere.
6. Summus Pontifex iuste potest privilegium fori quo ad clericos conuincatos, temperare in cap. unico de cler. conuincat. in sexta.
7. Clerici conuincati quo ad civiles causas, subditi sunt iudicibus secularibus.
8. Qua dicantur testes clericales? & quid in hoc posit. consuetudo efficiet.
9. Clericus conuincatus, an sit cogendus soluere gabellam, censum, & alia muner. iudicis per principem secularium.

Ecclesiasticam & spirituales potestates ita à temporali distinctam esse, ac fuisse constat, ut nihil deroget illi, aut detrahat, quo minus & diuina Dei optimi maximi ordinatione secularis principes propriam exercere valeant iurisdictionem absque vlla veterum canonum, & conciliorum vniuersalium læsione, & iniuria: præsertim ex eo, quod & ipse summus Ecclesiæ pontifex non semel testatissimum faciat, se minime velle Regiã ciuilem aut secularẽ perturbare iurisdictionem. Idcirco cautissime agendum est ab his, qui vicaria Pontificum, vel Regum vtuntur potestate, ne aduersus eorum principum instituta, quibus ministrare, & subseruire tenentur, alienam vsurpent iurisdictionem: cum & in hoc potissime Diuinæ maiestati offensa fiat. Nec mihi animus est, quemquam speciali notare culpa: scio etenim hoc maiorum cum examine diligentiorque censura grauioreve autoritate inquirendum, ac decernendum fore: tametsi illud investigare conabor, quam ratione sedari iure possint frequentissima iudicium Ecclesiasticorum, ac rursus ex aduerso laicorum magistratum querelæ super ea iurisdictione, quæ in primæ tonsuræ clericos exercenda est. Nam hæc de re ita passim cõtroueritur, ut non alienum sit ab huius operis instituto, nostrisque conatibus tractare, quando clerici primæ tonsuræ possint per secularis iudices puniri, si crimen aliquod in Reipublica, vel alterius offensam commiserint: Quo in articulo multa sunt iuris Pontificij, & Cæsarej, & Regij responsa, quæ videntur questionem istã absoluisse: ad quorum intellectum tractari illud necessarium esse opinamur, vt perferretur, quoniam iure diuino vel humano clerici fuerint à iudicibus, & iurisdictione seculari exempti. Nam & hinc apparebit, quid iura humana potuerint hæc de re statuere, ac definire.

Et hæc gloff. in capitul. si Imperatores 99. dist. in verb. & dist. cui. scribit clericos ante omnem humanam legem iure diuino fuisse, & esse exemptos à iurisdictione seculari. idem notat gloff. ab omnibus recepta in cap. quinquagesimo. de cens. in 6. quam opinionem secuti sunt & Omnes in d. ca. si Imperatores. optime Card. in repet. ca. perpendimus. 7. oppo. de sentent. excom. Roma. in singulari. 414. Abb. Felin. & Dec. 2. colum. in cap. Ecclesiæ S. Maria. de consuet. Rota in antiquis 840. & in antiquioribus 2. tit. de consuetudine. Abb. in capitul. si clerici. numer. 23. de iudic. Auferri in clem. 1. de officio ordi. versic. ad questionem. eandem sententiam itidem secuti fuerunt Communem esse Felinus in capitul. 2. colum. 1. de maior. & obed. Rochus Curtius in cap. vi. de consuetud. fol. paruo. 51. col. 4. Rebuffus in concordatis. rubr. de protectione. Quorum omnium ea est concors sententia, quod hæc clericorum exemptio sit omnino iuris diuini, cui per humanam legem derogari non possit. Idem probare conatur Driedonius de libertate Christiana fol. 109. Huius autem cõclusionis probatio à multis locis adsumitur, quorum aliquot ipse prætermissam libentissime, quia vel pertinent ad leges diuinas veteris testamenti, quæ noua lege, & Christi morte abrogatæ fuerunt, vel nihil ad ius diuinum attinent, quippe quæ ex humanis referantur legibus, quarum mentio fit in veteris testamenti libris. Adducitur tamen locus insignis ex testimonio Dauid prophætæ Psalm. 104. dicentis: Nolite tangere Christos meos. Quo in loco Deus exemptus videtur à principibus Christi eius: id est sacerdotibus, qui Christi, hoc est vincti, & consecrati dicuntur. Secundo ad idem adnotari solet locus ex nouo testamento apud Matth. 17. vbi Chri-

stus, cum ab eo exigeretur census, Petrum interrogat dicens, Reges terræ, à quibus accipiunt tributum, à filijs suis, an ab alienis? Cumque Petrus respondisset: ab alienis: Christus collegit cõclusionem Filij ergo liberi sunt. Ne autem eos scandalizemus, vade, & staterem, quem aperto ore piscis inueneris, da eis pro me & te. Ex hoc etenim loco argumentatur quidam, Christum exemptum à tributis principum secularium clericos, qui filij eius dicuntur, & qui sub Christo, & Petro, qui caput est Ecclesiæ, fuerunt significati. Tertio est ad hoc textus in dicto capitulo si Imperator. vbi Ioãnes Papa testatur, ex diuina institutione clericos non à secularibus principibus, sed ab ipso Romano Pontifice & Ecclesiæ prælati esse iudicandos: Quarto hoc ipsum & summus Pontifex manifeste asseuerat in dict. ca. quauquam. de censibus. in 6. scribens, clericos, & eorundem res iure diuino eximi à principibus secularibus, & ab eorum tributis & exactionibus. Quinto his accedit testimonium Constantini Imperatoris, qui prædens in sancta Synodo, quæ apud Nicæam congregata est: cum querelam quorundam clericorum conspiceret coram se deferendam, ait, Vos à nemine iudicari potestis: quia ad Dei solius iudicium referamini, vt refert Gratianus in cap. continua. 11. questio. 1. & 7. in c. futuram. 2. 12. questione 1. quem locum ex testimonio Melchias Papæ adducit: falso tamen, vt illic admonet gloff. & cõstat: quia Melchias Papæ ab imperatore Maximino martyrio est occisus: & Maximinus Constantinũ præcessit in imperio: vt tradit Platina. Nec enim Melchias Papæ potuit mentionem agere conuersionis Constantini, cuius donationis in Ecclesiã collatæ, nec aliorum, quæ in d. ca. futuram. commemorantur: cum post ipsius Melchias obitum sub Papa Syluestro contigerint: quemadmodum ex chronicis constat: & probat eleganter Augustinus Eugubinus l. 2. de donatione Constantini aduersus Vallam, pagina 148. & rursus est testimonio Theophanis, pagina 158. Præsertim quod Nicænum Concilium, siue sub Syluestro, vt quidam tradidit, siue sub Iulio congregatum auctore Sozomeno libro secundum cap. 17. post Melchias obitum contigerit ex omnium Historicorum consensu. Quamobrem potius est asseuerandũ tex. præcitatum deductũ fuisse ab illo capite, quod de primitiua Ecclesiã, & munificentia Constantini Magni habebatur primo concilio Tomo folio 132. ante edictum Constantini. Sed & illud quod in eodem c. futuram. adducitur de Constantino prædente apud Nicæam Synodum, & iudicium in clericos recusante, traditur à Rufino libro 10. Historie Ecclesiasticæ. cap. 2. & Sozomeno. libro 2. Tripartita. capitul. 2. hæc sanè quod in eodem cap. futuram. exponitur: nempe, Constantinum primum Imperatorem Christianũ fuisse: vel ex eo fallum est, quod multo ante M. Iulius Philippus primus omnium Imperatorum Christianus Romæ factus fuerit. sicut ex Historicis admonet Corrasius libro miscell. 4. capit. 23. sed & in l. diu. Cod. de natura. liber. nequaquam dicitur, primum Imperatorem Christianum fuisse Constantinum, sed eum primum fide Christianorum Romanum munisse Imperium: quia Ecclesiã adificationem permiserit, omnibusque Romani imperij subditis legem profiteri Christianam publice quidem, quod nemo Cæsari ante ipsum fecerat: quo in sensu accipiendũ est quod in dicto capitulo futuram, traditur, vt verum sit eius testimonium etiam refragante Corrasio. Quod plane constat ex Eusebio de vita Constantini, Socrate, Theodoro, ac Sozomeno: atque item ex Lactantio libro primo Diuin. institut. capitul. primo. Atque hæc sunt autoritates, ex quibus receptum est, non humana lege, sed diuina ordinatione clericos à potestate seculari exemptos esse simul cum eorum reb.

Contraria opinio: imo quod clerici lege diuina non sint exempti à iurisdictione, & potestate seculari, nec item eorum res, sed potius humana, probare, & tenere conantur Innocentius in cap. 2. de maior. & obedien. Petrus Ferrar. in practica. tit. de confessoria. §. plenam. colum. 1. Alciatus in capitul. cum non ab homine. colum. 2. de iudic. Carolus Molin. in additionibus ad consil. Alex. 8. lib. 1. Hanc item opinionem multis probat, & asserit veram esse Ioannes à Medina in trad. de restitutione questio. 15. Et potissimum hæc sententia constat, primum ex eo, quod nulla sit Euangelicæ legis, & noui testamenti lex, quæ clericos à iurisdictione principum secularium exemerit: & ideo dici poterit, eos lege humana exemptos esse, cum non appareat diuina lex, quæ vere diuina sit, & post Christi aduentum vim, & potestatem

habeat, ex qua clerici fuerint cum eorum reb. à iurisdictione principum singulariū exempti. Secundo: quia in primitiua Ecclesia clerici & eorum res iurisdictioni Regum & Imperatorum suberant: vt constat ex multis Imperatorum, etiam Christianorū legibus & constitutionib. latis de personis ipsi, & rebus ecclesiasticis omnique disciplina ecclesiastica, quæ cōtinentur sub titulis, *C. de sacerdotibus ecclesiasticis. De Episcopis & clericis. & de Episc. audiend. maxime in nouella constitutione 83. vt clerici apud proprii. Episcop. vbi Iustinianus ad supplicationem Episcopi Constantinopolitani dedit clericis privilegium fori in civilibus tantum, & Episcopo non impedito: alias & omnino in criminalibus eos reliquit sub iudice seculari.* Plures alias hac de re Caesarum cōstitutiones refert Carolus Molinæus ad edictū Henrici secundi Gallorum Regis in præfatione, *num. 20.* tamen opus illud cautissime sit a Catholicis legedū: siquidem is autor multa tradit aduersus Ecclesiasticam iurisdictionem, quæ ipse libentissime subtraxisset, & subtrahenda esse censere: ne vel minima ex parte ob peculiare affectus, summæ Romanorum Pontificum authoritati præiudiciū fiat. Nam & Remundus Ruffus, Apostolicæ sedis aduersus ipsū Carolū Molinæum, defensionem edito nuper libello acerrime suscepit, Tertio principalis conclusio deducitur ab authoritate Pauli, qui cum videret causam suam iniq. tractari, ad Cæsarem appellauit, à quo eum oportere iudicari dixit, *actor. capit. 23.* Quarto idem manifeste constat ex eodē Paulo ad Romanos *capit. 13.* vbi scribit: *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit.* Quo in loco Chrysostomus adnotauit, illic obedientiam iungi omnibus, etiam si quis Euangelista sit aut Propheta: cum ista subiectio pietatem minime subuertat. Et tamen in eo capite Paulus de secularibus potestatibus tractat præcipue: vt lector facillime deprehendere valeat, locū illum satis haec posteriorem opinionē probare. Quæ efficacius quo ad exemptionem à tributis inibi fulcitur: cum Apostolus scribat, *Omnem animam, & sic etiam sacerdotes, subditam esse potestatibus secularibus, & ideo eisdem tributa prestare, & debere.* Atque ita diuus Thomas ibidem asserit, iure humano non diuino sacerdotes à tributis exemptos esse. Quinto hæc ipsa opinio comprobatur testimonio Petri in *1. Epistol. capit. 2.* ita ad omnes, etiam sacerdotes scribens, *Subditi estote dominis vestris sicut Regi, siue ducibus ab eo missis conueniunt. 1. quaest. 1.* Quibus tandem locis, & testimoniis hæc posterior pars defendi potest, non obstantibus his, quæ priori loco tradita fuere, vt quidam opinantur.

Non enim obitat locus ex authoritate David, apud quem scriptum extat ore prophetico, *Nolite tangere Christos meos:* quia illud pertinet ad hoc, vt nulla fiat iniuria, nec vis sacerdotibus & clericis: non autem illic prohibetur iudiciū principum secularium in ipsos clericos iuxta iuris ordinē exercendum: cum & in veteri testamento ante legem Evangelicam dubio procul sacerdotes à principibus secularibus iudicarentur. Nam quamuis Dominus inter Leuitas, Sacerdotes, & alios quo ad officia, & rerum seuterrarū possessionem discrimen constituerat & voluerit Leuitas & sacerdotes sacra tractare: attamen viuente Moyse illius iudicio ceteri omnes tam qui ex Leui quam qui ex aliis descendebant, erant iudicandi.

Secundo non obicit locus apud *Matth. capit. 17.* quia illic nō censentur à Christo omnes sacerdotes & clerici liberi, & immunes à tributis: cum nō omnes sacerdotes sint vere filij Regum: sed ex responsione Petri infert Iesus libertatem filiorum Regis ad subintelligendam aliam conclusionem: ergo liber sum ego qui sum naturalis filius æterni Regis, & omnipotentis, qui vniuersum regit: vt illic plures interpretes locum illum intellexere. Quam obrem damnatus olim fuit error Marsilij Paduanis, altereratis Christum soluisse tributum, aut censum illum Didrachmi necessitate obligationis coactum. Vt refert Cardinalis à Turre Cremata *lib. 4. de ecclesia c. 37. part. 2. & constitutionib. Ioannis 22.*

Tertia vero probatio, atque item quarta parum vrgent, quippe quæ sint intelligendæ iuxta morem in Canonibus, & Pontificiis constitutionibus obseruatissimum. Nam frequenter dicitur aliquid iure diuino statutum ex eo, quod à veteri lege diuina, aut ab aliqua veteris testamenti auctoritate originem duxerit sicuti nos probauimus *lib. 1. variarum resol. ca. 17.* tractatum de decimis exponentes. Atque ideo eam aliquot in locis testamēti veteris cōstat sacerdotes in

principum privilegii exemptos fuisse à tributis, sit sane, vt & apud Pontificias sanctiones scriptum sit, hanc exemptionem iure diuino, aut lege diuina inductam fuisse: præsertim quia per unum dicitur Ius diuinum quod in vetustissimis Ecclesiæ vniuersalis conciliis, & synodis ad imaginem, & imitationem veteris legis fuerit statutum. Quod in dict. c. adnotauimus. Nam & *in Canonum lato quodam dicendi modo diuinum ius dici solet c. cum de diuersis, de privileg. in 6. cap. celebratam de consecrat. distinct. 3. cap. violatores. 25. q. 1. Leo Papa ad Anastasium Thessalonicensē. 58. c. 11. Idem Leo ad Episcopos per Africam cōstitutos. eius Iuo Carnotensis munit 5. part. cap. 105. S. Thom. opusculo 73. a. 5.* Nec tamen ex hoc probatur aliquid lege vere diuina, quæ vim hodie & auctoritatem habeat, nempe Evangelica, statutu fuisse. Sed & illud manifestum est, etiam si proprie sint intelligendi præcitati canones de lege vere diuina, id accipiendū esse quo ad quædam, & quo ad illa, quæ vere ac proprie spiritualia sint de quibus statim agemus, sic & illa Constantini publica apud Nicenam synodum cōfessio est ad hæc referenda: aut benevolentia potius principis Christianissimi, quam vere iuri diuino tribuenda. Vel eo potissimum, quod ex Græca Sozomeni Historia *lib. 1. c. 17.* & Latina Epiphani interpretatione verba Constantini aliorum tendunt, aliquæ sensum habent.

Nos tamen ommissis aliorum opinionibus, quæ videntur rem istam iuxta rigorem definiisse absque vlla cōgrua distinctione, aliquot conclusiones exponemus, ex quibus, quid vere sit in hoc respondendum manifeste constabit.

Prima conclusio: in his, quæ vere ac proprie spiritualia, & Ecclesiastica sunt, Clerici à potestate, & iurisdictione principis secularis iure diuino exempti sunt. Hoc probatur, quia Potestas Ecclesiastica, quæ circa spiritualia versatur, ab ipso Deo est supernaturaliter lege, Evangelicā, instituta, & Petro vt principi, ac ceteris Apostolis, eorūque successoribus omnino commissa, non principibus secularibus, vt constat: ergo principes seculares nullam in his rebus potestatem habent. Quæ ratione consequitur, non lege humana, sed diuina Clericos in hisce rebus spiritualibus à principibus secularibus exemptos esse. Nam si clerici in his, quæ pertinet ad spiritualia non essent lege diuina exempti à principibus secularibus, sequeretur, ipsos seculares principes aliquam legē diuinā habuisse potestatem spirituales, & Ecclesiasticas: quod adeo falsum est, vt id fuerit iam diu velut erronē aduersus Marsilium Paduanum in Ecclesia Catholica improbatum. Causæ vero, quæ ex natura sua spirituales sunt, & ad potestatem Ecclesiasticam peculiaritèr pertinent, sunt quæcumque de ordinibus, gradibus, sacramentis, obseruationibus, aliisque rebus Ecclesiasticis quaestiones, & controversiæ: quidquid denique inter quo scunq. Christianos contingens, ortum habens ex aliquo, quod specialiter ad Ecclesiam, legem fidemve Christianam pertinet: quemadmodum doctè tradit Albertus Pighius *lib. 4. de Eccl. Hierarchia. cap. 2. col. 5. sic sane omnes rationes quibus probari potest clericos iurisdictione seculari exemptos fuisse iure diuino: ita accipiendæ sunt, vt ad hanc primam conclusionem referantur.*

Secunda conclusio: In rebus temporalibus, & in criminalibus, quæ spiritualia non attinent, Clerici & eorum res non sunt iure diuino à iurisdictione principū secularium exempti. Hæc conclusio constat ex his, quæ tradidimus ad probationem posterioris opinionis contra communē: atq. ideo, si iure diuino absque humanis constitutionibus res esset examinanda, respondendum foret, in hisce temporalibus nec clericos, nec eorum res à iurisdictione seculari immunes esse. Vnde quia per leges Canonicas, & Pontificias constitutiones Clerici & eorum res regulariter sunt à iurisdictione principum secularium exemptæ, constituendæ sunt & reliquæ conclusiones.

Tertia conclusio. Potuit nihilominus summus Ecclesiæ Pontifex Clericos & eorū res à iurisdictione seculari exemptare: idque conueniens fuit & est Christianæ Reipublicæ, nō tantū in spiritualibus, quod iure diuino iam erat institutum, sed & temporalibus. Huius cōclusionis auctor est Innocentius in *c. 2. de maiorit. & obediē. quam alii communitèr sequuntur, præsertim Cardinal. in repet. c. perpenditur. de sentent. excommuni. oppo. 7.* Aufertius in *Clement. 1. de officio. d. n. v. ad quaest. 106.* Hoc probatur, quia summus Pontifex potestatem habet ferendi leges in his, quæ sint Ecclesiæ regimini

& administrationi conducibilia: conducit autem plurimū, quod ministri Ecclesiæ non implicent se negotiis secularibus. 2. ad Timotheum ca. 2. cum non possint commode vacare ministerio diuino, si trahi possint, & cōueniri apud iudices seculares: ergo vile quidem est & denique necessarium ad liberius, & rectius ministrandū Ecclesiis, quod Clerici, & eorū res sint à iudicibus secularibus immunes. Præsertim ex eo, quod hæc immunitas maximā originem ducat à diuinis veteris testamenti institutionibus, à sanctorum patrum testimoniis, à publicisque Imperatorū quorundam concessionibus: vt tandem totus fere orbis Christianus in hæc exemptionem propter publicam vtilitatem consenserit: eaque præter summorum Pontificum auctoritatem, hunc tacitum & expressum quandoque cōsensum habuerit. Hæc autem exemptio clericorum quo ad fori priuilegium multis in locis probatur: sed potissime in capit. ut si clericus cap. clericus. & capit. qualiter de iudic. cap. 2. de foro compet. c. 2. & multis illius questionis capitibus. 11. questione 1. l. vltim. tit. 2. lib. 16. codic. Theodosiani. & plerisque illius tituli constitutionibus ante Iustinianum latis. l. 57. tit. 6. part. 1. l. 6. tit. 3. lib. 1. ordm. [hodie l. 1. 3. tit. 3. lib. 1. Recoplar.] De qua latissime tractauerunt iuris Canonici interpretes in præcitatis locis: & præter eos Aufserius in repetitione Clement. 1. de offi. ordin. Guilielmus Benedicet. in capit. Raynuitus. de testament. in verb. & vxore. in 2. num. 32. & num. 410. Carolus, lib. 2. regal. Francia. c. 17. Chaffanæ. in consuetud. Burg. Rub. 1. §. 5. versic. Archidiaconi. num. 44. & Rupellanus lib. 1. forensium Institutionum cap. 34. Nicolaus Boerius decisione 69. Eadem Exemptio quo ad tributa, & censum constat expressim in capit. quamquam de censib. in 6. cap. non minus. de immunit. ecclesiæ. traditur late ibidem, & per Doctor. in l. placet. & in l. ad institutionem. C. de sacrosanct. ecclesiis. in cap. si tributū. 11. questione. 1. Abb. in cap. vltim. de vita & honestate clericorū. Felinus. num. 76. & alij in cap. ecclesiæ. de consir. Ripa. lib. 2. responsorum. cap. 20. & 22. Chaffanæ. in consuetud. Burgundie Rub. 1. §. 9. num. 17. Aufser. in Clement. 1. de offi. ordin. reg. 2. fallen. 27. Driedonius de libert. Christiana. pag. 109. & 198. Ioannes Mauritius post Bar. in repet. l. vltim. C. vbi mulier. & in quo loco sol. 25. & pluribus sequentibus. Regia lex hac de re optima. in l. 1. tit. 3. lib. 1. ordinar. [hodie l. 1. tit. 3. lib. 1. Recop. l. 1. §. 4. tit. 6. parte 1. l. presbyteros. C. de Episc. & Clericis. Sed & Constantinus Magnus hæc Clericorum, & Sacerdotū immunitatem quo ad solutionem publici census, & tributi, lege in vniuersum lata stabiluit, auctore Sozomeno lib. 1. eccles. H. for. ex Græco codice cap. 8.

Quarta conclusio: Quamuis exemptio Clericorum à iurisdictione seculari iure tantum humano sit inducta: principes tamen secularis, vtunque summus sit, non poterit hæc immunitati, aut exemptioni propriis legibus, propria auctoritate derogare. Hæc conclusio multis probari poterit, sed præcipue probatur ex his, quæ proxima in conclusione adnotauimus: nam si ad Romanum Pontificem, vt summum ecclesiæ rectorem iure pertinet. Clericos eximere à potestate seculari: & ea exemptio ab eò est ob publicam Ecclesiasticæ Reipublicæ vtilitatem instituta: plane consequitur, non posse hæc exemptionem ab alio quam ab eodem Pontifice reuocari: cum omnes seculares principes sint in spiritualibus, & Ecclesiasticis rebus summus Pontifex inferiores, non superiores, nec aequales: & ideo legem superioris potestatem eam ferendi habentis tollere nō possunt. Deinde cum tota Reipublica Christiana, & ipsius principes seculares in hæc exemptionem consenserint, eam minime potestunt reuocare: quod probatur ex his, quæ notantur in capit. nouit. de iudic. & præterea hæc reuocatio maxime fieret contra Ecclesiasticam libertatem, vt constat: igitur fieri non potest à principibus secularibus, secundum ea, quæ traduntur in cap. nouerim. de sentent. excomm. in cap. Ecclesiæ. de consir. & cap. vltim. de reb. Eccles. Cæterum post huius operis secundam editionem prodiit in publicum posterior pars commentariorū in 4. sentent. Domini Soto, qui distinct. 25. qu. 2. art. 2. questionem istam diligentissime tractans multa scribit, quæ mihi videntur, his quæ ipse tradidi conuenire.

Ex his sane conclusionibus multa possent deduci, & disputari quæ iustū profecto volumen exigerēt, & postularēt, potissimum tamen aliquot hoc in loco tractare conabimur, quæ sint huiusce tractatus resolutioni conducibilia.

Primum etenim sese nobis obtulit Cardinalis sententia in capit. perpendimus. de sententia excommunic. in repetitione oppos. 7. qui expressim probat, & asseuerat, summum Pontificem non

posse tollere clericorum exemptionem à iurisdictione seculari, quo ad omnes clericos, & quo ad omnes causas in vniuersum: licet optime possit eam exemptionem quo ad quosdam clericos, vel quo ad quasdam causas reuocare: sicuti & potest priuilegium Canonici vniuersum abrogare. Hanc opinionem Cardin. sequitur Felin. in cap. 2. de maior. & obed. col. 1. Barthol. Chaff. in consuetud. Burgundie, Rubric. 1. §. 5. versic. Archi. nu. 47. Aufseri. in Clement. 1. de offi. ordin. regula prima. Ex quibus constat, iure tamen humano Pontificio non diuino statutum esse, quod Clericum percussens, sit excommunicatus ea excommunicatione, à qua non possit per alium quam per Romanum Pontificem absolui. Quod verum est, nec negari potest: siquidem Innocentius 2. in concilio Lateranensi primus eam constitutionem edidit, quæ extat apud Gratianū 17. quest. 3. cap. si quis suadente. vt constat ex Platina & Philippo Bergomate in supplemento Chronicorum vnde in cap. num. dubium de sent. excomm. ea constitutio concilio tribuitur: tamen apud Gratianū ipsi tantum Innocentius 2. fuerit adscripta. Nec tamen ex hoc certum esse existimo quod Card. scribit. Nam etiam si possit Romanus Pontifex cum Cardinalium concilio Canonici illius censuram tollere, quia iure humano fuerit indicta: nihilominus illius censuræ abrogatio Reipublicæ Christianæ cōueniens non est, nec expedit illi honori, qui Clericorū ordini iure debetur: vnde si Papa Canonem excommunicationis liberū illum, qui Clericum percussit: etiam si summum ipsum Pontificem à culpa, & peccato minime excusarem. Nam quamuis mutatio legū humanarū, quæ vim, & potestatem à voluntate & cōsensu principis accipiunt commissa sit libero arbitrio principum, ita quidē vt cessante voluntate legislatoris legem ipsam reuocantis, cesset ipsius legis potestas: atram vt princeps ipse sit immunis à culpa, peccato, & iniuria, quæ Reipublicæ sit, necessaria est regulariter causa, quæ legis mutationem ac reuocationem iustificet: cum teneatur Princeps eas leges ferre, promulgare nouas, & veteres omnino seruare illas, quæ maxime necessariae sint, vel vtilis ad optimum Reipublicæ regimen eius tutelā, & cōseruationem: sicuti nos adnotauimus in cap. Alma mater. de sentent. excommunic. in 6. 2. relectionis parte, in princip. Quamobrem non omnino hæc in parte accesserim Cardinali. Sed & dum ipse præmittit exemptionem Clericorū à foro seculari iure diuino fuisse institutā, & concedit, posse summum Pontificem quosdam Clericos, aut quasdam Clericorum causas ab hoc legis diuinæ instituto eximere, non satis sibi cōstat: quia si illi Clerici, aut illæ Clericorū cause iure diuino sunt à foro seculari immunes, nō potest summus Pontifex illam immunitatem tollere absque læsione iuris diuini, quæ nec in vniuersum, nec in vlla sui parte tolli potest à principe humano: tamen potest per summum Pontificem declarari: quod non satis probauimus in Epitome in 4. librum decretalium, 2. parte. capit. sexto. §. mono. & lib. tertio Variarum resolutionum capitulo sexto. num. 9. Sed quia superius asseuerauimus, hæc fori exemptionem clericis iure tantum humano competere, non diuino conclusionem Cardin. eius ratione omissa probauimus, ex ea deducentes non posse summum Pontificem hæc exemptionem clericis à foro seculari competentem in vniuersum tollere. Effet enim hæc abrogatio maxime iniuriosa ordini, & statui clericali, & sacerdotali: nimisq. ministeria diuina perturbaret, funditus euertens sacrosanctam illam sacerdotū, & ministrorū Dei maiestatem à tot Cæsaribus, Regibus, & principibus pluribus priuilegiis ab initio & exordio militatis ecclesiæ hactenus communitam, & ornatam: atque ita eandem opinionem Cardin. sequitur Iacobatus in tractat. de conciliis lib. 10. art. 6. col. 2. illud tamen ex eodem Cardinali. & sequentibus palam admittimus, & probamus: nempe summum Pontificem posse iuste, & sancte, quoties id visum fuerit expedire Christianæ Reipublicæ, temporali, & spirituali, hæc exemptionem à foro seculari clericis iure humano datam limitare, ac restringere, vel quo ad quosdam clericos, vel quo ad quasdam causas. Probatur etenim hoc ea ratione: quia hæc exemptio iure humano iustis ex causis data est: & ideo poterit ex publica vtilitate restringi, certisve limitibus distinguui, ne quid in perniciem eōmanitatis concessum esse videatur. Hoc vero constabit amplius ex his, quæ in sequentibus corollaris, & alienationibus traduntur ad huiusce questionis vberiore cognitionem.

Secundo ex præmissa resolutione constat, quid possit consuetudo circa exemptionem istam clericorum à foro seculari. Nam text. in *c. clericis de iud.* tradit non valere consuetudinem, quod clerici in criminalibus apud secularem iudicem conveniantur, quo in loco glo. idem generaliter respondisse videtur considerata ratione ipsa, qua vitur: & idem illic Panor. & Doct. notant. Rota in antiquis 840. & 2. in antiquis de consuet. folio parvo 39. & item 5. in col. 4. etiam si consuetudo sit immemorialis. Quorum omnium ea est potissima ratio, quod hæc exemptio fuerit instituta iure diuino, cui nulla consuetudo derogare potest iuxta text. in *d. c. vlt.* Hæc vero ratio non est omnino certa, imò in plerisque casibus falsa, ut probauimus: & ideo dubia est opinio communis præsertim quia consuetudo mixta procedens à tacito consensu clericorum & laicorum, maximam vim habet etiam in his, que ecclesiastica sunt, quemadmodum adnotarunt gloss. & Doct. in *c. vir autem de secundis nuptijs.* text. optime. & illic Abb. in *c. cum venisset de eo qui mittitur in possess. caus. rei seruandæ & in cap. rum causa. de re iud. tract. Rochus in *d. c. vltim. de consuet. folio paruo 67. colum. 2.* Quamobrem etiam si existimem non posse consuetudinem tollere hæc exemptionem clericorum, nec ita restringere, ac limitare, ut inde maxima clericis, & ordini ecclesiastico iniuria fiat, grauissimumque imminet præiudicium ex eo, quod ministri Dei passim ad forum seculare inuiti trahantur, opinor tamen aliquot in casibus posse per consuetudinem legitime præscriptam exemptionem istam restringi, ac limitari: iuris etenim est potius & humani immunitas hæc: & ideo, nisi ex ea parte, qua de decus imminet ordini ecclesiastico, & graue damnum inferret quieti, ac tranquillitati ministrorum Dei, poterit restringi consuetudine legitime præscripta, quæ procedat à tacito consensu clericorum, & laicorum simul. Qua ratione consuetudo Anglorum, apud quos clerici quicumque etiam coniugati in sacris constituti coram iudice seculari litigare coguntur super actionibus realibus mixtis, & personalibus tantum, mihi non satis iusta, & rationalis videtur, nisi moderamen aliquod publica institutione ad iustitie modum obtinuerit: & ideo merito à iuris Pontificij professoribus reprobatur: uti etiam improbant Rotæ iudices in *decis. 840. in antiquis & decisione 2. in antiquioribus.* Hæc siquidem consuetudo multum impedit clericos: ac retrahit à ministerio cultus diuini: cum passim cogantur quacunque ex causa coram secularibus iudicibus actionibus respondere. Non ita iniqua est, imò fortassis aliquot ex causis admittenda, nec admodum improbanda, etiam si iuxta sacrorum Canonum rigorem aliud respondendum foret, consuetudo illa qua Galli absque vlla retractatione vtuntur: secundum quam Clerici in actionibus realibus conueniuntur coram iudicibus secularibus, ut testantur Ioannes Faber in *d. §. vltim. col. 2. in fine de iudicatio.* Aufreus in *Clem. 1. de offic. ordi. regul. 2. nu. 5.* & Guilielmus Benedictus in *c. Raynuius. testamen. in verb. & vxorem in 2. nu. 322.* Boerius *decisio. 69. num. 20.* & Andreas Tiraquellus in *libro. 1. de retract. §. 32. el. 1. numer. 81.* & plerique alij. Non enim audeo forensium iurum Gallorum vsum, & praxim vti que damnare: etiam si apud Hispanos nusquam viderim opinionem istam admitti: si quidem clerici, etiam in realibus actionibus apud iudicem ecclesiasticum non secularem conueniuntur.*

Tertio illud est obseruandum, quod etiam si exemptio clericorum à foro seculari, & eius potestate ac iurisdictione foret secundum communem opinionem iure diuino inducta, id obtineret quo ad sacerdotes, diaconos, & subdiaconos, atque itidem clericos primæ tonsuræ, qui tamen actu ministerio diuino vacarent, & ecclesiæ proprii exercentes officium seruirent ac ministrarent. Illi etenim clerici primæ tantum tonsuræ donati, qui solo nomine clerici sunt, nulli ecclesiæ, nec ecclesiastico ministerio seruietes, quique nihil à laicis differunt, non videntur à seculari iurisdictione exempti, nec immunes ex illo iure diuino, quod hæc exemptione concessit illis clericis, qui vel sacris sint ordinibus insigniti, vel ministerio ecclesiastico seruiant & vacauerint. Tamen si & hos primæ tonsuræ clericos iura Pontificia decreuerint exemptos fore à iurisdictione principum secularium: quemadmodum constat ex notatis in *capitulo vltimo de clericis coniugatis. in sexto. & in leg. presbytero. C. de Episcop. & Clericis. Imola, & Ioannes Bernardus Episcopus Calaguritanus in practica criminali. cap. 90. ad finem. indistincte censent, primæ tonsuræ clericos iure tantum humano, non diuino*

à potestate seculari fuisse exemptos. & idem notat Carolus Molinæus in *Alex. ind. cons. 8. col. 1.*

Quarto deducitur ex his, posse facilius Romanum Pontificem exemptionem istam clericorum à iurisdictione seculari restringere, ac limitare circa primæ tonsuræ clericos, quam erga clericos in sacris constitutos: quamuis in vtriusque iure tantum humano statuta fuerint hæc clericorum exemptio. Hoc corollarium probatur ex his, que proxime diximus: cum clerici primæ tonsuræ fere nullum ministerium ecclesiasticum exercent: & præterea, quia primæ tonsuræ potius est gradus quidam ad ceteros ordines, quæ ordo vere ecclesiasticus, & proprie: sicuti & nos adnotauimus in *cap. quia nos. de testam. num. 3. & 4.*

Quinto hinc apparet, summum Pontificem, iuste quidem potuisse hæc clericorum exemptionem à iurisdictione seculari, circa primæ tonsuræ clericos coniugatos certis quibusdā temperare, ac restringere limitibus, qui traduntur in *dicto & apud vincto. de cleric. coniugatis. in sexto.* Hæc etenim exemptio iuris est humani, non diuini: & licet iure diuino foret inducta, potuisset Papa illud ius diuinum ita interpretari, ut clericus coniugatus non aliter hæc immunitate gauderet, quam si tonsuram, & vestes, que sunt clericorum insignia, detulerit. Equissima profecto est Pontificia constitutio: cum aliqui clerici coniugati nullo fungantur in Republica ecclesiastica ministerio: imò sint ab eo separati, quippe qui vxorem acceperint, *capitulum Ioannes. de cleric. coniugatis.* Quod si libere, & indistincte clerici coniugati essent à potestate seculari exempti, maximam haberent immunitatem, & ex ea licentiam, atque audaciam multa committendi scelera, & delicta: nec essent clerici ad alium finem, & effectum, quam ut immunes essent à potestate seculari, liberique exempti: quo possent tutè absque metu iustæ punitionis multas dare operâ criminibus in Reipublicæ perniciem, arma & seculares, laicæque deferentes vestes, mille negotiis secularibus impliciti. Hoc præsertim in tempore quo tanta clericis primæ tonsuræ qui minime ecclesiasticis ministerijs, & officiis funguntur, delinquendi occasio datur ex eo, quod à iudicibus ecclesiasticis etiam ob homicidium voluntarium leuissime puniantur, & benigne absque vllis compediibus, & carceribus ante punitionem tractentur: grauissima, & maxima pena digni, qua essent omnino lege iustitiæ ab ipsis ecclesiasticis iudicibus iuxta Canonicas sanctiones puniendi: idcirco Bonifacius octauus æquissime constitutionem præcitatam edidit, ex qua decusum extrat clericos primæ tonsuræ coniugatos, tunc priuilegio fori canonici gaudere, cum vnicâ, & virginem vxorem acceperint, tonsuram & vestes honestas, ac clericis conuenientes detulerint: etiam si Speculator in tractatu de concilio, parte secunda, capitulo quarto, scripserit, constitutionem istam reuocandam fore à concilio vniuersali, quia fuerit aduersus libertatem ecclesiasticam promulgata: atque ideo magis à Republica esse Christiana, quod clerici coniugati absque vlla distinctione immunitates habeant veteribus canonicis, & legibus clericis concessas: quod ipse minime crediderim. Licet Ioannes Monachus in *dict. cap. vincto.* doceat constitutionem illam editam fuisse: cum & illic Ioannes Andreas 3. col. scribat, querelas principum secularium iustam dedisse causam eius editioni. Nec omnino consentiam Iacobus à Bello visu, seu potius Iordano Brezio in *repetitio. §. contrahentes. de foro competent. in sexto, qui nu. 90.* prima oppositio censet clericos coniugatos, etiam si tonsuram, & vestibus induti honestis, & clericalibus incedant, quo ad omnia subditos esse iudicibus secularibus: non obstante constitutione prædicta, quæ tantum erit secundum eum obseruanda in his prouincijs, quæ fuerint quo ad temporale iurisdictionem Romano Pontifici subiectæ.

His ita prænotatis operæ pretium me facturum opinor, si ad vsum forensium, & praxim aliquot tradidero huius, de clericis primæ tonsuræ coniugatis, constitutionis interpretationes, quo expeditior sit eius intellectus.

Prima igitur constituitur interpretatio, ut ea constitutio intelligenda sit in causis criminalibus: cum in civilibus clericis coniugatis non sint exempti à iurisdictione iudicis secularis: imò eorum ipso sint conueniendi, etiam si tonsuram, & vestes deferant clericales. Sic etenim voluit Ioan. And. Domin. & Banchelius in *dict. cap. vincto.* Lapsus ad *gat. 1. 18. Card. & Imo. in cap. ex parte. col. 1. de cleric. coniugatis. Montal. in leg. 25. tit. 9. parti. 1.* & est Communis opinio, etiam si idem

Lapis Allegat. 41. & Francus. in dict. cap. vnicō. contrariū probare conentur ex verbis illius cōstitutionis, dum in ea expressim decifum extat, clericū coniugatum cum vnicā, & virgine, tonsurā, & vestes clericales deferentem non esse trahendū ad iudicem secularē criminaliter, nec ciuilit. Et tamē verus sensus in hoc constat, quod clericus hic cōiugatus pro criminalibus causis non conueniatur coram iudice seculari, nec criminaliter, nec ciuilit. id est, etiam si pro crimine ciuilit agatur: atque hæc est *Communis*, & manifesta huius textus interpretatio: etiam si non delinquit aliter præcitata vbi interpretentur, ita quidem, vt etiā in ciuilibus clericus coniugatus quo ad carceres, & ipsorum capturā liberi sint à iurisdictione seculari. Nam licet possit iudex secularis de causa ciuili cognoscere, & eam decifere, non tamen poterit clericum coniugatum capere, & in carcerem pro executione detrudere, si ipse clericus ea seruauerit, & fecerit quæ in dicta Bonifacij Octauij cōstitutione continentur: quod præter alios placet Ancharano in dicta cap. vnicō. & Ripæ in libro primo responsio. cap. 13. col. 3. quæ quidem opinio communis est, & in hunc sensum intelligitur, vt iudex secularis in canonicis excommunicationem incidat, si clericum coniugatum in hisce causis in carcerem miserit, secundum Montanum, in d. ad. 25. Qui tamen contrarium probat, & iure quidem, ni fallor. Clerici etenim coniugati hæc duo tantum priuilegia non obstante matrimonio retinent, scilicet priuilegium fori, quo ad criminalia, & priuilegium canonicis: vt in d. ca. vnicō, expressim probatur: vnde in ciuilibus nullam habet fori præscriptionem, nec priuilegium: imo manet in his sub potestate iudicis secularis, qui minime incidit in excommunicationem canonicis ex eo, quod licite clericum sibi subditum in carcerē ad executionem contractus sententiæ, vel alterius ciuilibus rei causa miserit. Atque ita passim apud Hispanos absque vlla controuersia in causis ciuilibus clericus coniugatus, vbi hoc iuris, & iustitiæ ministerium exegerit, à iudicibus secularibus capiuntur, & detrahuntur in carcerem.

Secundo hæc Bonifacij decifio est ita exeminanda & intelligenda, vt non sit satis clericus coniugatus vnum tantum deferre Vestem clericalem, si alias vestes sit indutus inhonestas, & seculares. Cum sit necessarium, clericos coniugatos ad hæc priuilegia obtinenda, vestes omnes inducere clericales: & honestas: illas saltē quæ facile videri possunt. Quemadmodum ex dictione pluralis numeri probatur in d. vnicō, secundum Dom. & Doct. in ibi tex. optimus in cap. si iudex laicus de sentent. excomm. notat decifio Tholosana, & illic Auzeri. qu. 152. & 227. quibus adde l. 16. tit. de los perlados. lib. 1. ordi. & quæ traduntur in c. seq.

Tertio, vt locus sit huic cōstitutioni de clericis coniugatis, duo sunt ab eisdem clericis probanda: primum, quod tonsuram, secundo, quod & vestes detulerint clericales: quemadmodum in d. vnicō, apparet ac notat Rota in nouis 202. Bald. in l. si qua per calumniā. C. de Episc. & Cler. & Gui. Papæ. q. 138. Imo in c. 10.annes de cleric. coniugat. nu. 3. & Card. d. ca. perpendimus. vbi oppositio. & præterea necessarium est, quod probent, vxorem vnicā, & virginem duxisse, vt illic respondetur: quantum in hoc vltimo non ita exegerint probationē, cum vnicum tantum matrimonium, & femina virgo præsumatur, nisi contrarium probatum fuerit.

Quarto illud est obseruandum, quoniam modo definiri valeat, ac certis limitibus præscribi, quod de vestibus clericibus in dicta cōstitutione continetur. Nam in cap. penult. de vita & honestat. cleric. & in clement. 2. eodem titulo, etiā si quædam vestes clericales fuerint interdicitæ, non tamen est satis cautum, nec omnino definitū, quæ vestes sint honestæ, & vere clericales: idcirco gloss. illic Communiter probata in dict. cap. penult. in verbo deauratis, respondet, eas censeri clericis vestes honestas, quæ communi vsu fuerint admittæ ea in prouincia: vt tandem non dicatur clericus inde certis vestibus indutus, qui iuxta regionis consuetudinem, vsu, & morem vestitus incedat. Hoc ipsum in hac specie probat Alexand. in conf. 149. nu. 12. lib. 6. idem consil. 8. col. vlt. lib. 1. gl. infinis in q. si quis virorum 30. distinet. ad idem optima gl. in clem. 1. versic. secularis de electione. & gloss. in summa. 20. quest. 1. notant Card. in clement. 2. ad finem, Abb. in cap. primo. de apostat. Rochus in cap. vlt. de consuet. fol. paruo 18. col. 2. & 50. col. 4. tex. optimus in ca. 10.annes de cleric. coniuga. quæ quidem opinio potest multifariam intelligi, & accipi. primum etenim quibusdā fortassis placebit, satis esse, quod clericus coniugatus his vtantur vestibus, quibus ceteri laici,

& seculares, qui vxores habent: secundum communem regionis vsu vtantur: hoc vero non sufficit ad hoc, vt sit locus priuilegijs, quæ in dicto cap. vnicō, commemorantur, vt expressim asserit Fulgosi. in consil. 142. volum. 1. atque ideo illic idem auctor existimat, illam consuetudinem sufficere, quæ legitime præscripta induxerit, clericos coniugatos priuilegium fori habere, etiam si vestibus non vtantur clericilibus, nec tonsuram deferant idem probant & sequuntur Rochus Curtius in dicto cap. vlt. de consuetud. fol. 51. col. 1. Albert. in cap. 1. de hæreticis in 6. qu. 13. versic. septima. declaratio. n. 9. & Chafsanus in consuetud. Burgundia. Rub. 1. §. 5. versic. Archidiacon. 59. atque ita intelligi poterit quod Alex. & alij adnotant: quamuis eorum proprius ac verus sensus sit in hunc modum deducendus: vt possit satis fieri Canonibus, ad effectū, quod clerici coniugati priuilegium fori & canonicis retineant, & habeant, si ipsi illis vestibus vtantur, quibus ex consuetudine, & vsu regionis honeste vtantur eiusdem qualitatis, & conditionis homines: nempe clerici primæ tonsuræ coniugati. Nam cum ius canonicum secundum communem minime definierit vestium qualitatē, & modum, potuit consuetudo definire, quæ vestes censentur clericis coniugatis honestæ, cum illud sit constitutissimū, non omnino, nec præcise illis vestibus vti debere, quibus indui debeant clerici in sacris ordinibus constituti, vel in minoribus, ecclesiastico tamen ministerio vacantes, quod sensit summus Pontifex in dicto cap. 10.annes de cleric. coniugat. Scio tamen & sepius me certis testimonijs compertum habui, à multis iudicibus ecclesiasticis pronunciatum fuisse clericos coniugatos, qui entibus, armis, & vestibus omnino laicis vsi, & induti esse communiter, & nihil ab omnino laicis differentes, nec adhuc ipsa tonsura gaudere priuilegio fori, & ea ex causa iudices seculares inhibitionibus non satis canonicis, & censuris minime iustis passim adeo gravari, & lædi: vt non temere possimus asseuerare, hos Ecclesiasticos iudices nihil censere proprius iurisdictionis Ecclesiasticæ, quæ meros laicos, & secleratissimos homines, & in graue Reipublicæ dispendiū, & diuinæ atque humanæ iustitiæ læsionē, à iudicibus secularibus eximere. Quod quam iulle, sancte, ac pie fiat, id viderint ipsi, qui tot sacris Canon. obstantibus maximam laicis, qui nullo Ecclesiastico ministerio vacat, delinquendi licentiam præbere satagunt: præsertim post Alex. sexti cōstitutionem, cuius mentionem in capite sequenti facturi sumus: Denique post Sacrosanctæ Synodi Tridentinæ decreta, quorum cap. 6. sess. 23. statutum fuit, in clericis coniugatis seruari omnino debere Bonifacij octauij cōstitutionem: modo hi clericus alicuius ecclesiæ seruitio, vel ministerio ab Episcopo deputati, eidē ecclesiæ seruiant, vel ministrent, & clericali habitu, & tonsura vtantur: non obstante quo ad hoc priuilegio, vel consuetudine, etiam immemorabili.

Quinto potissimum est adnotandum, quod clericos coniugatos non ex hoc amittere fori priuilegium, quod semel, aut aliquando tonsuram & vestes clericales dimiserint, & modo tempore delicti tonsi fuerint, & vestibus clericibus induti, nō etenim aliqua Canonica cōstitutione statutum est, priuilegiū hoc ea ex causa prorsus admitti, si tempore commissi criminis, aut alio in specie requisito, tonsuram & vestes clericales deferant clerici, quali eo tantū priuentur tempore his priuilegijs, quo vestes & tonsurā dimiserint: sicuti responderunt Ioan. And. & illic omnes in d. c. 10.annes & idem in d. c. vnicō, de clericis coniug. in 6. quorum Opinio Communis est, vt etiam secutus asserit Alex. in consil. 8. lib. 1. & consil. 140. lib. 9. & Hippo. in sing. 480. auctoritate tex. in clement. 1. & ibi gloss. in verb. quamdiū de vita & honestat. cleric. idem probatur expressim ex Alex. VI. cōstitutione, quæ inter huius Regni sanctiones est memorabilis. Nam ex ea satis est quod clerici primæ tonsuræ vestibus & tonsura vtantur tempore commissi criminis & quatuor mensibus proximis fuerint vsi: ergo si ante quatuor menses à tempore commissi criminis vestes dimiserint, & tonsurā, non amittunt clericus priuilegium fori. Sed sane clericus coniugatus, qui tempore commissi criminis tonsuram & vestes deferbat, non erit priuatus hoc fori priuilegio, etiam si post delictum commissum vestes dimiserit, nec tonsura vtatur, quemadmodū ex mente omnium Alex. responderit in dictis consilijs. Eadem fere ratio & clericus coniugatus, qui tamen vnicā vxorem, virginēque acceperit, ea mortua, & matrimonio soluto, consequitur & habet omnia priuilegia, quæ clericis primæ tonsuræ non con-

coniugati iure habent, & obtinent, secundum Abb. in c. clericus. in 2. de vita & honest. cler. cuius opinionem fere unanimi sententia probant omnes in d. c. vnic. de cler. coniug. in 6.

Sexto, eadem privilegia quæ in d. cap. vnic. concessa sunt clericis coniugatis, tonis quidem, & clericalibus vestibus amictibus, etiam conveniunt his clericis coniugatis, qui negotiationi operam dant: cum his coniugatis licita videatur quædam honesta victus causa negotiatio, quamvis alioqui clericis alijs sit interdicta, arg. c. loannes. de cler. coniug. Atque ita notant Francus in d. c. vnic. col. 3. & Alex. in d. conf. 8. solum. vlt. lib. 1. tamen si Ioan. Imo. in d. c. loannes. col. 2. contrarium probare conetur.

Septimo hæc omnia sunt sic ad amissim intelligenda, ut coniter clericos coniugatos cum vnica, & virgine, tonsura, & vestibus clericalibus videntes, tantum hæc duo fori, & Canonis privilegia obtinere: quo ad reliqua vero clericorum privilegia laicos omnino censerit, textus est singul. & ibi gl. Communiter recepta in verbo, ceteris in d. c. vnic. de cleric. coniuga. in 6. vbi Francus multa commemorat privilegia, quæ clericis coniugatis iure negantur, cum alioqui clericis sint, non coniugatis concessa. Idem censere Cardina. in Clemen. 1. de vita & honest. cler. Auferius in Clemen. 1. de offic. ordlin. not. ab. 3. Domin. in capit. 1. de offic. vicar. lib. 6. col. vlt. & Paulus Parisius in conf. 40. num. 20. lib. 4. præsertim clericis coniugatis, etiam cum vnica, & virgine, & qui vestibus ac tonsura utantur, iure negatur privilegium immunitatis, quo ad Gabellas, Munera secularia, Indictiones, Collectas, aliave quævis Regalia obsequia, censum, & his similia. Nam hæc subire tenentur hi clerici, sicuti subeunt, & præstant omnino laici. Quod in specie adnotarunt gloss. memorabilis in d. c. vnic. in verb. ceteris. & ibi omnes. Panorm. in c. ex parte. de cleric. coniug. Guido Papæ questione 383. Bertachinus in tract. de Gabellis. 6. part. num. 12. Angelus in auctor. de monachis. §. penult. Ioannes Mauricius in repet. l. vnica. C. quo loco mulier munera subire soleat. lib. 10. pag. 75. quorum Opinio Communis est, & ab omnibus probatur in d. c. ex parte. atque item lege Regia. l. 2. §. 4. l. 2. ord. l. hodie. l. 2. §. 4. lib. 5. Recop. J. & l. 1. §. 1. 3. lib. 1. ord. quibus quidem legibus constat definitum esse, quod clerici primæ tonsuræ non coniugati liberi sint & immunes ab omnibus, Subsidijs, ac Tributis, & Indictis, à quibus clerici in sacris constituti liberi censentur. Quam opinionem iure probant Guido Papæ, & alij auctores modo citati. Et est communis opinio atque intellectus ad omnes iuris Canonici constitutiones, quibus clerici eximuntur ab his muneribus secularibus personaribus quidem, & mixtis. Hoc ipsum poterit probari multis locis vtriusque iuris, in quibus appellatione clericorum continentur & clerici primæ tonsuræ: de quibus agere nunc omitam, traditur etenim in c. clericis. de iud. & in Rubr. de vita & honesta. cler. per Dec. in c. 2. de præbendis. tex. elegans in hac specie in l. presbyteros. C. de et. s. cler. Sunt tamen qui opinentur, hanc conclusionem admittendam fore, cum clerici primæ tonsuræ probam & honestam viuendi rationem sectantur, saltem vestes, & tonsuram non dimittentes: quod deducere videntur ex Innocentio in cap. 1. de Apost. Thomas Parpalias in repet. l. placet. C. de sacrosanct. eccles. Ioannes Mauricius in d. l. vnica. pag. 73. tenet idem Guido Papæ in qu. 381. Nam ut refert Matthæus de Afflic. in consil. Neapolitan. Rub. 3. nu. 13. Carolus secundus Neapolis Rex per constitutionem Regiam idem visus est statuisse, ita iura Pontificia interpretatus. Quæ quidem interpretatio non est fortassis à mente iuris canonici aliena hæc præsertim temporibus, quibus tot clerici primæ tonsuræ absque tonsura, & vestibus passim vagantur, moribus, & vitæ honestate à ceteris laicis minime distincti: imo propter privilegia peccandi licentia ipsis multo peiores in maximum Christianæ Reipublicæ dispendium, potissimum hæc in re, cum alij laici sint eorum clericorum onera subituri: quod illis satis graue, & molestum est: quippe quibus consistet, hos clericos primæ tonsuræ, qui ab his oneribus immunes esse contendunt, nec vestibus, nec tonsura, clericos esse, nec alicui ecclesiastico ministerio vacare, nec id ipsum vel minima ex parte cogitantes. Vnde cum hæc exemptio iure sit tantum humano instituta, plurimum poterit circa eius vim & usum consuetudo legitime præscripta: maxime non erit eius quævis interpretatio Reipublicæ conueniens abiicienda, cum de muneribus agatur, quæ mixta sunt, & ratione rerum temporalium personis quo ad census, & pecuniæ contributionem indicuntur. Etiam si iuxta iuris canonici rigorem cle-

rici primæ tonsuræ non sint priuati: hoc privilegio ex eo, quod tonsuram & vestes dimiserint, nisi prius tertio moniti in hanc incididerint contumaciam, sicuti notat Mol. in c. vlt. col. 1. de vita & honesta. cler. & idem probat Regia l. 2. §. 4. lib. 1. ordinar. sufficeret tamen ea monitio, quæ sit per publicationem constitutionis Alexandrinæ, cuius statum cap. sequenti mentio fiet. Vidi semel Regias literas in hoc decretas, ut clerici primæ tonsuræ etiam non coniugati, cogantur soluere Decimam partem pretij, quo res proprias etiam seclusa mercimonij, & negotiationis causa, vendiderint. Quod ius Alcanala Hispani, alij Gabellam appellant, cum tamen ius Pontificum in d. c. quancumq. de censu. in 6. non minus hanc exactionem, quam alias in clericorum rebus, & personis prohibuerit. Vnde fateri oportet, posse multum in hisce immunitatibus consuetudinem. Tandem Philippus nostri constitutionibus decretum est, clericos in minoribus constitutos, non habentes ecclesiasticum beneficium, etiam non coniugatos minime eximendos fore à solutione Gabellarum, & aliarum publicarum indictionum: quantum & ij alioqui in criminibus gaudeant privilegio fori. l. 2. ad lib. 1. Recopilat. J.

CAPVT XXXII.

Rursus agitur de clericis primæ tonsuræ, qui nondum matrimonium contraxere.

S V M M A R I A.

- 1 Traditur Alexandri Sexti constitutio, qua de tonsura & vestibus clericis tractatur.
- 2 Clericus in sacris constitutus quando puniri possit per iudicem seculares absque degradatione, & traditione.
- 3 Clericus primæ tonsuræ puniri potest quandoque per seculares iudices absque ulla solenni degradatione.
- 4 Ordo ecclesiasticus post delictum assumptus, quando liberet quem à iurisdictione iudicis seculares.

Hæcenus, etiam si de clericorum exemptione tractauerimus, illud peculiari conatu agere constitutum est, ut quid de clericis primæ tonsuræ apud iudices seculares seruandū sit, summam responderemus, distinctionem illam explicaturi, quæ frequenter fieri solet, dum clerici coniugati ab his, qui vxores nondū accepere, quod ad aliquot iuris effectus segregantur, de coniugatis autē iam multo diximus: & ideo nunc de his, qui coniugati non sunt, expecto quædam præctis vtilia explicare: Clerici sane primæ tonsuræ, qui coniugati non sunt, quo ad criminalia & civilia, exempti à potestate seculari censentur secundū Communem in d. c. vnic. de cleric. coniug. in 6. & in c. quilibet. & c. clericus. de iud. quæ probatur in c. 2. de foro comp. moribus tamē receptum est, quod clerici primo tonsuræ, etiam non coniugati non possint vt præscriptione fori in euilibus: nec temere quidem, præsertim quo ad clericos, qui nec tonsura, nec vestibus utantur, nec ministerio ecclesiastico vacare satagunt. Idcirco illud erit prænotandū, clericos primæ tonsuræ, qui coniugati non sunt, quo ad criminalia exemptos esse à potestate iudicij secularium. Nec hi clerici privilegium istud amittunt ex eo, quod vestibus, & tonsura non utantur, donec tertio moniti fuerint, & nihilominus in eadem perfecterent contumacia, quemadmodum probatur in cap. in audientia. de sen. excom. gloss. communiter recepta in c. ex parte. in 3. de privileg. Panorm. in c. rux de Apostasia. Henric. in c. cum non ab homine de iudi. Fulg. consil. 157. Alex. in consil. 8. solum. pen. lib. 1. & est Communis Opinio in c. vnic. de cleric. coniug. licet in hisce coniugatis clericis hæc monitio necessaria nō sit, vt illic omnes faceret. Extat tamen inter Regias huius Regni leges Alexandri Sexti Pōtificis Maximi constitutio hac de re lata, etiā quo ad clericos primæ tonsuræ, qui coniugati nō sunt. Etenim illic statuitur, clericos primæ tonsuræ quoscunque etiā si liberi sint à matrimonio, nō esse exemptos nec immunes in criminalibus causis à iudicibus secularibus, nisi tēpore commissi criminis, & quatuor proximis ante mensibus tonsura, & vestibus clericalibus vsi fuerint. Quæ quidem constitutio continetur inter huius Regni præctas. 21. & data fuit anno Domini 1492. [hodie l. 6. cum 6. l. 4. l. 1. Recop. J. cuius interpretationē tradere conatur doctissimus Petrus Auedanius in tract. de exequen. mandat. cap. 22. sed & idem omnino concessum est à Leone decimo Pontifice Maximo Francif. Gallorum Regi: quemadmodum meminere Nicolaus Boerius decisione 69. numer. 13. Challanæ. in consuetud. Burgund. rubr.